

Leistungskurs Bayern 1990

Philosophie bereichert das Leben

(Sen., De brevitate vitae 14,1ff.)

Soli omnium otiosi (1) sunt, qui sapientiae vacant, soli vivunt. Nec enim suam tantum aetatem bene tuentur: omne aevum suo adiciunt. Quidquid annorum ante illos actum est, illis acquisitum est. Nisi ingratis sumus, illi clarissimi sacrarum opinionum (2) conditores nobis nati sunt, nobis vitam praeparaverunt. Ad res pulcherrimas ex tenebris ad lucem erutas alieno labore deducimur.

Nulla nobis saeculo interdictum est, in omnia admittimur, et, si magnitudine animi egredi humanae imbecillitatis angustias libet, multum, per quod spatiamur, temporis est. Disputare cum Socrate licet, dubitare cum Carneade, cum Epicuro quiescere, hominis naturam cum Stoicis vincere, cum Cynicis excedere. Cum rerum natura in consortium omnis aevi patiatur incedere, quidni ab hoc exiguo et caduco temporis transitu in illa toto nos demus animo, quae immensa, quae aeterna sunt, quae cum melioribus communia?

Hos in veris officiis morari puta, qui Zenonem, qui Pythagoram cotidie et Democritum ceterosque antistites bonarum artium, qui Aristotelem et Theophrastum volent habere quam familiarissimos! Nemo horum non vacabit, nemo non venientem ad se beatiorum dimittet, nemo quemquam vacuis a se manibus abire patietur; nocte conveniri, interdum ab omnibus mortalibus possunt.

Horum te mori nemo coget, omnes docebunt; horum nemo annos tuos conteret, suos tibi contribuet; nullius ex his sermo periculosus erit, nullius amicitia capitalis, nullius sumptuosa observatio (3) Feres ex illis, quidquid voles.

Quae illum felicitas, quam pulchra senectus manet (4), qui se in horum clientelam contulit! Habebit, cum quibus de minimis maximisque rebus deliberet, quos de se cotidie consulat, a quibus audiat verum sine contumelia, laudetur sine adulatione, ad quorum se similitudinem effingat. (250 Wörter)

-
- | | |
|-----------------------|--------------------------------|
| (1) otiosus, -a, -um | hier: der rechten Maße ergeben |
| (2) opinio, -onis | hier: Lehre |
| (3) observatio, -onis | hier: Beachtung |
| (4) manere | hier: erwarten |